



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

§. 6. Quid Cardinales de Exercitiis senserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

operi adeò pio ac salutari vacaverint, caelestium thesaurorum Ecclesiae largitione magis incitare volentes, de Omnipotentis DEI misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi Fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuscunque aliorum Ordinis & Congregationis Regularibus, quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis & Laicis, qui in domibus memoratæ Societatis Exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per Octidui spatium quod docunque peregerint, & interea temporis vere penitentes, confessi Sacrosanctum Eucharistia Sacramentum sumserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

## §. IV.

## Quid Cardinales de Exercitijs senserint.

I. Primus ex his meritò chorum S. Carolus Borromeus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis ducit, qui variis argumentis suam de his Exercitijs æstimationem declarat. Nam 1. ea bis quotannis iterabat, & instar Novitij in ijs aliquo è Societate non tantùm quoad interiores motus animi, & exteriores actiones dirigi, sed etiam ipsa Meditationum puncta, ante quamlibet Meditationis horam tradi volebat, uti Lancizius p. 1. opusc. 10. n. 23 r. fol. 830. testatur. 2. Ad ipsam etiam mentem se per ea velut optimam præparationem disposuit, dum in solitudinem Varalli montis secedens, & his Exercitijs vacans, & castigatione voluntaria operam, sed Christi dolorum Meditationibus suavem vitam educens, ex eo secessu morbum contraxit, vitamque sanctissimè clausit, ut Breviarium Romanum 4. Nov. refert. Dum ex Clero quoque suo, quotquot poterat, ad eadem faciendam inducebat. 4. Dum Clericos Seminarij sui in ipsius ingressu, & ante Sacrorum Ordinum susceptionem ipsos excoli voluit; imò & in Synodo decretum fecit, ut nullus Sacerdos initiaretur Sacris Ordinibus, nisi qui per aliquos dies secedens, sacris sese ad illos Meditationibus præparasset.



5. Dum Famulos quoq; suos quotannis vacare ijsdem Exercitiis jubebat, ut cælestia & æterna crebrò meditantes, vitam piam secundùm Christi legem instituerent. 6. Dum Duci Mantuano Bibliothecam suam Visitanti, & collaudanti dicebat, se in sacco libellum ( qui Libellus Exercitiorum fuerat ) circumferre, qui plus contineret, quàm omnes Bibliothecæ suæ Codices, eò quòd Scriptores librorum cæterorum doctrinam suam ex principijs & scaturigine hujus Libelli derivârint.

II. Quid Cardinalis Burgensis senserit de his Exercitiis, sat clarè in censura Libello Exercitiorum præfixa ostendit, dum scripsit: Legimus spiritualia hæc Exercitia, placèntque nobis valde, & digna judicamus, quæ ab omnibus Orthodoxæ Fidei Cultoribus recipiantur, & magni fiant.

III. Non minorem de illis æstimationem Caspar Contarenus, Patritius Venetus, & ex Senatore Cardinalis, ætate sua ingenij & doctrinæ laude facilè princeps prodidit, dum non modò sub sancto Ignatio Magistro se exercuit, sed etiam tradita sibi Exercitia, suâ ipse manu perquam accuratè descripsit, & eundem sollicitè ab Hæredibus servari, non secus, quàm ingentem thesaurum, uti revera est, in pretio haberi voluit, uti P. Joannes Weyer in Prolegomenis Theophili §. 12. testatur.

IV. Quartum testimonium tulit, quem priori paragrapho citavi, Georgius Radzivilius Cardinalis, & Vilmæ Episcopus, qui cum Fratre suo Stanislao his Exercitiis eo successu vacavit, ut redux in Poloniam fructum, quem hauserat, per omne regnum maximo animarum lucro diffunderet, ut loc. cit. ex Societatis imaginæ p. 385. refertur.

## §. VII.

### Quid Episcopi de his Exercitijs senserint.

I. Etiam hîc in ore trium Testium stabit æstimatio, quam Episcopi de Exercitiis habuerunt. Inter quæ testimonia primus jure merito locus debetur testimonio, quod Doctor Bartholomæus Torres Lector Segonciæ, & Cathedralis Complutensis, & postea Canariensis Episcopus de illis tulit,

lit,